

CLAVDII PTOLE-

mæi Mathematici, de Iudiciis, Li-

ber quartus, Caput primum

quod est Proœmium.

T E X T V S I.



Væ igitur genituram præcedunt illiue cõnexa sunt, ani-
plius ea quoq; quæ eam comitãtur, cuiusmodi sunt uni-
uersæ animi & corporis constitutionis propria, hæc fe-
rè sunt quæ diximus. Eorũ uerò quæ aliunde accedunt
& deinceps explicandorum primus est de opibus & di-
gnitate, existimationeq; nati sermo. Cohæret enim ut
rerum possessio ijs quæ corpori propria sunt, ita honoris quæ ad ani-
mum pertinet.

C O M M E N T A R I V S.



Vatuor proposuerat superius tractanda: scilicet genituram antecedentiã, Cap. 3.
ut parentes, & connexa ut sexum ac numerum, concomitantiãq; ut uitam,
formam, mores, & de his omnibus tractauit simul & de his quæ & præce-
dere possunt & sequi uelut de fratribus, nunc reliquũ est, ut de his quæ se-
qui tantum solent: uerum tamen, & de hac diuisione aliã dictũ est dum doceremus
ex Ptolemæo quadruplicem tractationem principiorum, uniuersaliũ, connexorum,
& succedentium quæ fermè ad fortunam pertinent. Nam de primis tribus dictũ iam
est, de quarto autem in hoc libro iam dicemus.

Hic Hali docet oportere philosophum esse qui rectè uelit iudicare, generaliaq;
præcepta cognoscere atq; intelligere diligenter, aliter operam omnem frustrari. Idq;
rectè omnino dictum. Nec debere quenquam dubijs uerbis polliceri aut prædicere,
sed clarè atq; perspicuè & singulariter quæ futura sunt. Itaq; & generalia scire oportet,
& in philosophia eruditissimum esse, nec hæc sufficient nisi duo alia etiam co-
gnouerimus, quorum primum est de consuetudinibus proprijs gentium atq; homi-
num, uelut de ira Germanorum, Parthorum feritate, mercatorum bonis uerbis, arti-
ficum mendacijs, talibusq; innumeris. Secundum est ut sciamus quomodo homines
generalibus effectibus subiiciantur: Nam multi occidunt absq; signis uiolente mor-
tis: multi iuuenes moriuntur qui ad senium peruenire debuerant: multi ditant absq;
diuitiarum signis. Vt uerò huius ultimi exemplum afferamus, nam de alijs supra lo-
cuti sumus & de omnibus malis, dicamus de hoc uelut & de honoribus & magistrati-
bus atq; alijs bonis quod certum est amicos non decerni ita à genitura, ut quis eos ab
initio qui futuri sint & quales dignoscere queat, constat autem quod amici principes
& diuitias, & honores, & magistratus afferunt: Igitur cõtingit quod ex amicitia (quæ ex
genitura deprehendi qualis futura sit nõ potest) homo natiuitate satis humili ad ma-
gnos status perueniet. Sicut contingit de Maximiliano Stampa, qui cũ haberet infe-
licem genituram, quia tamen inter illam & geniturã Francisci secũdi Sfortiæ Ducis
Mediolani fuit cõmutatio, factus est ditissimus, honoratus et potentissimus, in alijs
rebus tamen infelicissimus, quia genitura talis erat & non fuit in alijs commutata. Et
similiter quarta genitura licet sit per se felix, eò tamẽ est felicior quo ascendens suam
& fortunæ partem alternatim cum fortunæ parte & ascendente primæ cõmutat. Rur-
sus genitura Ludouici Ferrarij per se egregia est, quoniam tamen Lunę locus illi est,

bb nobis